



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 2. Varij modi, quibus antiqui reos infamiâ notauerunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

sus es. Quid ergo mirum, si Deus permittat unum alterumque laudes tuas contrahere, eum tu forte decem aut viginti honestissimorum virorum honorem sis depopulatus. Aut, si linguam in freno habes, fortasse manibus, fortasse oculis peccauisti, quod merito luas. Crates certe Thebanus dicebat, non inueniri, cuius facta omnia singula esse oportet, quemadmodum etiam in malo Punico granum aliquod putridum reperitur. Quid gemis ergo, si luis? quid queritaris, si castigaris? Quis est, qui in verum non offendit? Quid ergo mirum, si lingua flagellant? iam sentis, quo dolore alios affeceris, cum & tu eos aculeatissimis digitis flagellares. In summa, quisquis male viuere seipsum infamat, aut fundamentum ponit, ut possit infamari.

## §. II.

*Varij modi, quibus antiqui reos infamia notauerunt.*

Siue igitur linguâ, siue manu alios iniurias, dignus es, qui lege talionis puniaris. Vt teres calumniatoribus, infami stigmatibus calumniæ litteram in frontem inusserunt. Quali etiam signo furti reos notarunt, ut quibus obuij oculis legerent, cuius vel lingua, vel

De hoc  
Plutarch.  
in Apoph.  
& Dio-  
gen. La-  
ert. in  
Crat.  
Iacob, 3.1.

digiti cauendi essent. Samij captiuos Athenienses, quos seruorum loco habebant, noctuæ figurâ signabant. Vicissim Athenienses Samiorum frontibus stigmata inusserunt, vnde iactatum vulgò, *Samijs neminem esse litteratiorem*. Nec quidquam tam fuit infame, quàm inscripti vultus; nam apud solos Thracas signum nobilitatis erat, frontem punctis notatam prætulisse, vt Herodotus scribit, vnde *Threieia nota* in prouerbum venerunt. A quibus Istriani non longè, vt loco, ita nec moribus recesserunt. Lysander, ignominia causa, ab Agesilao rege carnum diuendendarum muneri præfectus est. Eadem de causa Brutij Iorarij facti sunt. Calpurnius Piso Consul, & Octavianus Augustus milites ignauos & timidos tunicatos discinctosque, per totum diem, cum decempedis plerumque cespitem portantes, ante prætorium stare, vel obsoleta toga, & tunica discincta, nudisque pedibus, ante principia adesse iubebant; vel fossam fodere discinctos cogebant; vt eo habitu & specie deformi in omnium conspectu præ se ferrent insignem memoriam flagitij ignominiaque acceptæ. Arnoldus Archiepiscopus Moguntinus contra Hermannum Co-

Alex. lib. 2. cap. 13.

In appendice Mariani

Sab. lib. 3.  
En. 3.

mitem Palatinum, bello gesto sub Friderico I. Imp. fulmine excommunicationis victos hostes, canes, per ignominiam, portare coegit, atque ita in gratiam recepit An. 1155. Equi à L. Quintio Cincinnato Dictatore inclusi, cum se dedidissent, inermes sub iugum missi sunt. Tribus hastis iugum fiebat, duabus humi defixis, superq; eas vna tranversa deligata. Alij asinis retrorsum insidentes, & caudam manibus tenentes, per urbem circumducti sunt, quod Andronico tyranno contigit à Constantinopolitanis. Nudati alij, verberati, cum ignominia occisi; immò & occisi contumeliosè tractati, quo pacto, teste Plutarcho, Ptolomæus rex Cleomenem mortuum pelle nudavit, & cruci affixit. Ita in poenâ multi honore sepulchri caruerunt; multi sub patibulo tumulati, multi refossi cremati sunt. Denique quid non excogitavit humanum genus, vt hostes, inimici, & qui malum meruerunt, infamiâ plecterentur?

§. III.

*Ex sacra historia superbi humiliati.*

Plexit summus iudex æternâ infamiâ superbum Spiritum, Luciferum, qui est fratrum suorum calumniator. Cecidit in imum, qui

Isa. 14. 13.